

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

In occursu. Christianvs Avgvstinvs

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

culpa. Quòd nihil proficis, tua desidia in causa fuit, non præceptor, non pater tuus. In culpa omnes estis. Utrique in culpa estis. Utrique culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Incidisti in morbum tuo ipsius vitio, tuâ ipsius culpâ. Idem dicuntur in vitio esse, quibus culpa debet imputari, & in crimine esse, qui culpandi sunt, & in damno esse, qui damno afficiuntur. Hoc genus sermonis non temerè licet invertere: Damnum in illo est, vitium in illo est.

In causa.

Quò minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quòd rariùs ad te scripserim, mea negotia in causâ fuerunt, non negligentia. Quid in causâ fuit? Quid cause fuit? Ego non sum in causâ. Quòd nullas à me literas acceperis, tabellarius in causâ fuit. Quòd tam macilentus es, amor, non studium in causa est. Hoc est cause.

In mora.

Non ero tibi in mora. Quidnam vobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas: tuum est memorie insculpere. Habes affectatiuncula tua premium. Vale mi Christiane. C. Vale in crastinum & tu mi Petre.

In occurfu. Colloq. Helv. p. 12.

CHRISTIANVS. AVGVSTINVS.

C. Salve multum, iucundissime Augustine. A. Salve tantundem, mi humanissime Christiane. Felix sit

lux sit tibi hujus diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandem agitur? C. Suaviter, ut nunc res nostra sint. Et cupio omnia, quae vis. A. Merito to amo. Amo te. Amandus es. Benignè dicis. Comis es. Habeo gratiam.

Iraſcor tibi.

C. At ego nonnihil tibi succenseo. At ego tibi ſubiraſcor. Verùm ego tibi ſum ſubiratus. Atqui ego ſum in te ſtomachoſior. Atqui nonnihil eſt, vel habeo, quod tibi ſuccenſeam.

Qua cauſa?

A. Quidnam eſt iſtud obſecro? quid ita? quamobrem tandem oro? quid admiſi ſcleris? quid commeri? promereor bona, aut laudem: commereor mala, aut poenam: illud in bonam, hoc in malam partem ſumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

Quia non curas me.

C. Quòd nulla mei tibi cura ſit. Quòd nil nos reſpicias. Quòd tam raro nos reviſas. Quòd nihil nos cures. Quòd me planè negligis. Quòd noſtri curam videris abjeciſſe.

A. At nihil eſt cauſa cur ſuccenſeas. At prater meritum meum. At immeritò ſuccenſes. Neque enim meâ culpâ accidit, quòd te rariùs viſam. Dabis veniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties quoties cupio te reviſcere. C. Ita demum tibi ignoſcam, ſi hodie apud me coenes. Ea conditione purgatus mihi eris, ſi veſperi ad coenam venias. A. Hand iniquas pacis leges praſcribis

F 5 Chriſtia-

Christiane, quare haud invitus faciam. Equidem faciam volens. Istud quidem fecero perlibenter. Haud gravatè faciam. Hic sanè me non praebebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo faciam lubenti. C. Laudo tuam facilitatem, & hac in re, & in ceteris omnibus. A. Sic soleo amicis obsequi, praesertim non iniqua petentibus. Ridiculum: an tu me recusaturum putabas oblatum, quod ultro etiam erat rogandum?

Ne fallas me, formula.

C. Agè, at cāve ne me deluseris. Cave fallas. Cave spem frustra foveam. Cave luseris expectantem. Cave mihi verba dederis. Vide, ne me frustra habeas. Vide, ne me vana spe lactes. A. Nihil opus iurejurando. In ceteris, in aliis time perfidiam, hac in re non fallam.

Sed heus tu, cave quicquam paraveris praeter quotidiana: meā causa diem festum nolo. Scis me convivam minime edacem, bibacem multò minus. Nosti enim me convivam non multi cibi, sed joci plurimi. C. Curabitur diligenter, Ego te (a) Pythagoricā cenā excipiam, aut fortasse frugaliore. A. Imò Diogenicā, si me delectare voles. C. Certè Platoniciā cenā te excipiam, in qua multum sit literatarum fabularum, cibi minimum: cuius voluptas duret etiam in posterum diem: alioqui, qui prolixè fuerit acceptus, fortassis eo die suaviter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui cenabat, unam voluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisq; philosophicis;

sophicis; alteram postridie, quod nec capitis gravē-
dinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita pran-
debat etiam suaviter ex condimento cœnæ pridia-
ne. Placet, fiat ut mones.

C. Tu vide omnes curas tuas ac rugas etiam
istas domi relinquant. Huc præter nugas & risum
nihil adferas. Et, ut inquit Iuvenalis:

Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen,
A. Quid? literas mecum venire non vis? Musas
meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. C.

Tetricas Musas una cum negotiis domi claudas.
Blandas Camœnas omnes, deinde sales tuos, dictē-
ria, scommata, facetias, lepores, ridicula omnia te-
cum adducito. A. Ita fiet. Exporrigemus frontem.

Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim.
Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Geniali-
ter cœnabimus. Epicureos agemus. Bonum vul-
tum faciemus, & erimus boni socii. inelegantium

elegantia sunt, qui suam habent linguam sibi pecu-
liarem.

C. Quò nunc properas? A. Ad generum meum.

C. Quid illuc? quid eo? quid illo? A. Audio ne-
scio quid turba inter eos natum, ut redigam eos in
in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem

inter eos componam. C. Benigne facis, quanquam
nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se melius
hoc bellum composuerint. A. Fortassis & inducia

jam indictæ sunt; noctu de pacis legibus agetur. Sed
nunquid me aliud vis? C. Vocabo te per puerum

meum. A. Vbi voles, domi ero. Bene vale. C. Bene
sit tibi.

fit tibi. Fac hic ad quintam horam adfis. Heus Petre, accerse ad cœnam Augustinum, qui mihi hodie, ut scis, cœnam (b) condixit. P. Ego.

Salve poëta. cœna jamdudum parata est: te herius expectat domi: Vbi voles, accedas. A. Venio.

Colloq. Helv. CONVIVIVM PROFANVM.
p. 134. AVGVSTINVS. CHRISTIANVS.

PVER.

A. Salve mi Christiane. C. Benefactum, quod venisti. Gaudeo te advenisse. Gratulor mihi quod venisti. A. Nondum quinta sonuit credo. P. Imò jamdudum preterita est. Haud longè sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextam audies. A. Parvirefert, an post quintam venerim, nec ne, modo ne post cœnam. Nam post festum venire, miserum est.

At quorsum tantus apparatus? Quorsum tot epule? Num me lupum existimas? Num tibi lupus videor? Num me vulturem putas? C. Non vulturem, sed tamen nec cicadā, ut (c) rore vivas. Nihil est luxus. Mundicies mihi semper placuit: sordes detestor. Nec Apicius mihi placet, nec Diogenes. Praestat aliquid superesse quam deesse. Si prater eicer nihil apponeretur, & fuligo fortè illapsa in illam condiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaq; mihi placet moderata varietas. A. Nō tu metuis leges (d) sumptuarias? C. Imò peccavi frequenter in diversum. Nihil nobis opus lege Fannia. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas. A. Haud ita convenerat. Longè aliter

pollicitus